Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Insuper coniuro te in nomine sanctæ et indiuiduæ Trinitatis, ut indices mihi quis uocaris, et quid in hac famula Dei. N. quæris, aut quando, aut quo tempore, aut cur eam subintrasti, Hoc nobis sine omni læsione corporis, et animæ, et omnium membrorum nostrorum insinuare, et manifestare non differas, per eum qui uenturus. etcs.

Coniuratio.

Adiuro te Sathanas et contestor te Diabole, per nomen domini nostri Jhesu Christi, et per uirtutem potentiæ eius, ut recedas et exeas de famula ista. N. absq; læsione corporis et animæ suæ, sed penitus effugias, nec stare nec latitare, nec seuire in corpore istius et anima, aut uestimento præsumas, sed profugus discedas, nullumq; signum tui doloris, nec in anima carne uelata, aut ossibus eius uestigium derelinquas. Exi imunde spiritus quicunq; es, unus aut plures, aut qualecunq; nomen tibi sit, Effi uelociter de capite, de capillis, de uertice, de fronte, de omni compagine membrorū famulæ Dei. N. non in flatu, non in angulo domus eius, nec in anhelitu, nec ullo figmento, aut aliqua calliditate te cælare præsumas, sed mox recedas cathenatus, refrenatus per potestatem dñj nostri Jhesu Christi creatoris et redemptoris nostri, exulq; effugias: partesq; illas petas, ubi nullam creaturam Dei lædere præsumas, aut possis, aut ualeas. Da